

virtuti finitimum vitium reperietur, aut certo jam nomine appellatum; ut audacia, quae fidentiae; pertinacia, quae perseverantiae finitima est; superstitio, quae religioni propinqua est: aut sine ullo certo nomine. Quae omnia item, uti contraria rerum bonarum, in rebus vitandis reponemus. Ac de eo quidem genere honestatis, quod omni ex parte propter se petitur, satis dictum est.

Nunc de eo, in quo *utilitas* quoque adjungitur, quod tamen honestum vocamus, dicendum videtur. Sunt igitur multa, quae nos cum dignitate, tum fructu quoque suo ducunt: quo in genere est gloria, dignitas, amplitudo, amicitia. *Gloria* est frequens de aliquo fama cum laude; *dignitas*, alicujus honesta, et cultu, et honore, et verecundia digna auctoritas; *amplitudo*, potentiae, aut majestatis, aut aliquarum copiarum magna abundantia; *amicitia*, voluntas erga aliquem rerum bonarum, illius ipsius causa, quem diligit, cum ejus pari voluntate. Hic, quia de civilibus causis loquimur, fructus ad amicitiam adjungimus, ut eorum quoque causa petenda videatur: ne forte qui nos de omni amicitia dicere existiment, reprehendere incipiant. Quamquam sunt, qui propter utilitatem modo petendam putant amicitiam; sunt, qui propter se solum; sunt, qui propter se, et utilitatem. Quorum quid verissime constituatur, alius locus erit considerandi. Nunc hoc sic ad usum oratorium relinquatur, utramque propter rem amicitiam esse expetendam. Amicitiarum autem ratio, quoniam partim sunt religionibus junctae, partim non sunt, et quia partim veteres sunt, partim novae, partim ab illorum, partim ab nostro beneficio profectae, partim utiliores, partim minus utiles ex causarum dignitatibus, ex temporum opportunitatibus, ex officiis, ex religionibus, ex vetustatibus habebitur.

Utilitas autem aut in corpore posita est, aut in extraneis rebus: quarum tamen rerum multo maxima pars ad corporis commodum revertitur, ut in re publica quaedam sunt, quae (ut sic dicam) ad corpus pertinent civitatis, ut agri, portus,